οὐδ' ἔτι τοι μάτηρ ἐρατὸν περὶ κλῆμα βαλοῦσα
φύσει ὑπὲρ κρατὸς νεκτάρεον πέταλον.

In quo carmine quum omnia tenerrimam venuſtatem ſpirent, gratia ex eo accedit, quod uvam veluti mortuam et matri ereptam, in qua re aliquid ſublimitatis ineſt, conſpicimus.

Sed accedimus ad contraria. Gratiae oppoſitum eſt *infi-cetum*, quod nos *ungeſchickt* dicimus. Hujus quoque, ut gratiae, duo genera ſunt. Primum enim, quemadmodum venuſtatis ad ſublimitatem acceſſione blandum naſcitur, ita ſi ad rem magnam accedit aliquid, quod magnitudinem non ſolum ſublimitate privet, ſed eam etiam reddat fatuam, aliud naſcitur genus illecebrarum blando plane contrarium, quod *abſurdum* Latini dicunt, nos *abgeſchmackt* vocamus. Nemini non ſtatim in mentem venient Ariſtophanis Socrates, Plauti miles, Terentii Thraſo. Hoc genus ſi a poetis non conſilio ad riſum, ſed ingenii vitio pro ſublimitate adhibetur, *tumidum* dici ſolet. Attulit horum exempla Longinus ſect. III. ut haec Aeſchyli, πρὸς οὐρανὸν ἐξεμεῖν, et quod Boream tibicinem faciat: cui ſimile eſt illud Homericum,

ἀμφὶ δὲ σάλπιγξεν μέγας οὐρανός,

reprehenſum a Demetrio de eloquutione cap. 83; quo cur Longinus ſect. IX. ubi eo utitur, non fuerit offenſus, haud obſcura ratio eſt: item Leontini Gorgiae quaedam, ut hoc, γῦπες, ἔμψυχοι τάφοι, de qua metaphora miror parum accurate diſputaſſe elegantiſſimum Ruhnkenium. Aeſchylus in Agamemnone:

μαρτυρεῖ δέ μοι κάσις
πήλου ξύνουρος διψία κόνις τάδε.

Sed quid in ſingularibus exemplis moror? Tota Nonni Dionyſiaca nihil ſunt, niſi perpetuus tumor, ampullae, et ſeſquipedalium verborum inanis ſtrepitus.

Deinde amoeno aliud inficeti genus oppositum est, quod nascitur accessione informitatis ad fatuitatem, eodem modo, quo amoenitas ex accessione sublimitatis ad formositatem constat. Nam si qua res propter venustatis detractionem fatua est, et tamen augetur, quasi mirationem factura, alius quidam, atque ex absurdo, sensus nascitur. Hoc genus Latini *molestum*, nostri *affectirt* dicere solent. Qui fatuum vultum ita componunt, ut admirationem captare videantur, molesti sunt. Molestum est illud Claudiani in epithalamio Palladii et Celerinae:

triplexque vicissim
nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.

Fatuum enim est, ubi tres Gratias intelligas, corpore indutas, dicere Gratiam, quo nomine non deae intelliguntur, sed res, cujus eae praesides sunt. Id iuxta stultum est, ac si Homerus ignem pro Vulcano dixisset diis pocula ministrare. Sed fatuitatem auxit Claudianus etiam informitate, quum Gratiam diceret triplicem, quod rectius de Geryone dici poterat. Haec triplex Gratia adeo nihil gratiae habet, ut monstri instar sit. Livius Andronicus in Aegistho, etsi durissimis numeris, satis venuste tamen dixerat:

tum autem lascivum Nerei simum pecus
ludens ad cantum classem lustratur.

Audiamus ut id Seneca in Agamemnone auxerit, ad quam fabulam saepius adhibuisse Livii Aegisthum videtur:

tunc qui iacente reciprocus ludit salo,
tumidumque pando transsilit dorso mare,
Tyrrhenus omni piscis exsultat freto,
agitque gyros et comes lateri adnatat,
anteire naves laetus et rursus sequi.
nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
millesimam nunc ambit et lustrat ratem.

Quid tandem dixit? Qui ludant delphini, eos ludere, et quum nunc anteant claſſem, nunc ſequantur, modo primam navem, modo ultimam ambire. Quo quum nihil magis fingi poſſit fatuum, ad tantam informitatem auxit eam rem, ut mare prae mari, gyros prae gyris, piſces prae piſcibus e conſpectu amittamus.

Devenimus denique ad modum, quo pulcritudo ad animum refertur. Is poſitus eſt in eo, ut pulcritudo quam proxime accedat ad id, quo ſummae in hoc genere abſolutionis exemplar animo informari poteſt. Nam quum pulcritudinis ſenſus ad animi culturam pertineat, fieri non poteſt, quin, ſi omnino aliquid eſt, quod animus quaſi quadam neceſſitate exigat, id acceſſione ad ſummae atque abſolutiſſimae pulcritudinis perfectionem cenſeatur. Haec vero ſummae pulcritudinis perfectio neque ſublimem aliquam rem dici, neque venuſtam patitur, ſed venuſtatem requirit ita ſublimitate temperatam, ut neque quidquam ſit, quod non venuſtum, neque quidquam, quod non ſublime haberi debeat. Hoc vero illecebrarum genus vocabulo non ſatis apto *nobile* vocari ſolet. Ut in humana forma, ſi univerſe ſpectatur, nulla aetatis vel ſexus ratione habita, neque vir robore et gravitate inſignis, ut Hercules vel Iuppiter, nec mulier, ut Venus, ad id, quod nobile dicimus, exprimendum eligi debet, ſed vir iuvenis adhibendus eſt, ut Apollo, in quo cum muliebri venuſtate virilis gravitas coniuncta ſit. Rurſus in muliebri figura nec Venus, nec Iuno aut Minerva, ſed Calliope nobilis erit. Poetarum maxime omnium Sophocles hac virtute excellit. Eius unum exemplum afferam ex Aiace v. 127.

τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν, ὑπέρκοπον
μηδέν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
μηδ' ὄγκον ἄρῃς μηδέν', εἴ τινος πλέον

ἢ χειρὶ βρίθεις, ἢ μακροῦ πλούτου βάθει·
ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια· τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι, καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.

Huic quoque generi opposita turpitudo est, et quidem, quae summa est. Haec constat tali informitatis et fatuitatis coniunctione, quae incertum sit, utrum magis informis an fatua dici debeat. Vocamus autem eam *deformitatem*: nostri appellant *häſslichkeit*. Vt vultus deformis est, cuius singulae partes quum sint fatuae, simul etiam informes sunt: ut frons rotunda, oculi magni et stupidi, genae crassae, nasus obtusus, labra turgida. Similiter in poesi. Ioannes Barbucallus:

αἴθε σε, Πίνδαρε, μᾶλλον ἐμοῖς ἐκάθηρα ῥεέθροις·
καί κεν ἄριστον ὕδωρ τύμβον ἔφησθα μόνον.

Tota haec sententia insulsa est: sed informi et rustico verbo ἐκάθηρα etiam deformis fit. Callimachus de Iove:

ἔνθα σ' ἐπεὶ μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων,
αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος, ᾧ κε τόκοιο
λύματα χυτλώσαιτο, τεὸν δ' ἔνι χρῶτα λοέσσαι.

Sed satis de his. Hoc unum addendum est, si forte deformitatis vocabulo angustiorem significatum tribuere videmur, ac vulgo habet, id propterea fieri, quod multa deformia dici solent, quae in aliis illecebrarum generibus numeranda sunt, ut informia et prava. Sic caput calvum, oculi strabi, nasus resimus, os distortum proprie non sunt deformia, sed prava, quia ipsi notioni, qua harum rerum conditio definita est, repugnant.

XII.

De coniunctione illecebrarum.

Multas enumeravimus illecebras, sed minime omnes. Etenim eas tantum indicari conveniebat, quae elementa sunt et quasi fontes, unde quidquid usquam est illecebrarum, de-

rivari debeat. Quare quae praeter illas reperiuntur illecebrae, coniunctione diversorum generum nascuntur. Harum quasdam afferre non ab re erit.

Vt *ornatus* est, qui varietate et venustate constat. Exemplo utar venustissimo carmine Arionis, quod quum manifestis corruptionibus depravatum sit, tamen critici poetam ut invenustum notare, quam carmen corrigere maluerunt. Id igitur emendatum dabo.

Ὕψιστε θεῶν,
πόντιε, χρυσοτρίαινα Πόσειδον,
γαιήοχ', ἐγκύμον' ἂν ἅλμαν
βραγχίοις περὶ δή σε πλωτοὶ
θῆρες χορεύουσιν ἐν κύκλῳ,
κούφοισι ποδῶν
ῥίμμασιν ἐλάφρ' ἀναπαλλόμενοι σεισμῷ,
φριξαύχενες ὠκύδρομοι σκύλακες,
φιλόμουσοι δελ-
φῖνες, ἔναλα θρέμματα κουρᾶν
Νηρηΐδων θεᾶν,
ἃς ἐγείνατ' Ἀμφιτρίτα·
οἵ μ' εἰς Πέλοπος γᾶν ἐπὶ Ταιναρίαν
ἀκτὰν ἐπορεύσατε,
πλαζόμενον Σικελῷ ἐνὶ πόντῳ,
κύρτοισι νώτοις ὀχέοντες,
ἄλοκα Νηρείας πλακὸς
τέμνοντες, ἀστιβῆ πόρον,
φῶτες δόλιοι
ὥς μ' ἀφ' ἁλιπλόου γλαφυρᾶς νεώς
εἰς οἶδμ' ἁλιπορφύρου
λίμνας ἔριψαν.

Aliud praeclarum exemplum parodus chori in Oedipo Coloneo praebebit.

Similis ornatui *magnificentia* est, quae varietate rerum sublimium continetur. Talis Agamemnonis clipeus est in principio libri XI. Iliadis:

ἂν δ' ἕλετ' ἀμφιβρότην πολυδαίδαλον ἀσπίδα θοῦριν,
καλήν, ἣν πέρι μὲν κύκλοι δέκα χάλκεοι ἦσαν·
ἐν δέ οἱ ὀμφαλοὶ ἦσαν ἐείκοσι κασσιτέροιο,
λευκοί, ἐν δὲ μέσοισιν ἔην μέλανος κυάνοιο.
τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο,
δεινὸν δερκομένη, περὶ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε.
τῆς δ' ἐξ ἀργύρεος τελαμὼν ἦν· αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ
κυάνεος ἐλέλικτο δράκων, κεφαλαὶ δέ οἱ ἦσαν
τρεῖς ἀμφιστρεφέες, ἑνὸς αὐχένος ἐκπεφυυῖαι.

Aliud genus *terribile* est, compositum e foeditate et sublimitate. Vt illa in Odyss. XX. 347.

οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν·
αἱμοφόρυκτα δὲ δὴ κρέα ἤσθιον· ὄσσε δ' ἄρα σφέων
δακρυόφιν πίμπλαντο· γόον δ' ὠΐετο θυμός.

Et quae mox dicit Theoclymenus. Item illa in libro XXII. v. 401.

εὗρεν ἔπειτ' Ὀδυσῆα μετὰ κταμένοις νεκύεσσιν,
αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον.

Aliud genus versatur in coniunctione ridiculi cum sublimitate, quod a Britannis accepto vocabulo *humor* nostri appellant. Exemplum afferam verbis Ciceronis in libro II. de oratore cap. 61. *Africano illi maiori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus, noli mirari, inquit, si non convenit: caput enim magnum est.* Eodem genere usus est Demades in his, quae

Demetrius de eloquutione cap. 283. attulit: ὀ τέθνηκεν Ἀλέξανδρος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι· ὦζεν γὰρ ἂν ἡ οἰκουμένη τοῦ νεκροῦ.

Aliud genus nostri *naiv* appellant. Hoc proprie nihil est nisi ridiculum, quod error ingenua simplicitate commissus habet. Qui error quum sit hominis aut omnino, aut certe dum errat, vitio, fraude, malitia carentis, saepe cum venustate quadam, saepius etiam cum gratia solet coniunctus esse.

Rusticus expectat, dum defluat amnis.

Hoc et ridiculum est, nec caret venustate, quia innocens certe et bonus homo videbitur iste rusticus. Cyclops Theocriti, quatuor ursos alens, quos Galateae donet, ridiculum facit: sed eadem res aliquid amoenitatis habet, quod ille hoc facit amoris caussa, simulque consolari se ea re studet. Puer Cyrus apud Xenophontem, avum ebrium videns, vinum putabat veneno permixtum fuisse. In hoc exemplo ad ridiculum accedere videtur illud genus gratiae, quod blandum vocavimus. Nam et venustum est ob simplicitatem pueri, et multo magis sublime ob severam veritatem sententiae.

Denique non est ipsa turpitudo praetereunda, quae quum aliis modis, tum ita cum venustate consociari potest, ut rudis agrestium hominum vita, incultique mores describantur, ipsa autem descriptio venusta sit. Exstant ex hoc genere duo praestantissima Theocriti carmina, Thyonichus et Adoniazusae, Sophronis, ad cuius exemplum facta sunt, magnum moventia desiderium.

XIII.

De divisione poeseos ex argumenti quantitate.

Pergimus ad eas poeseos divisiones, quae non e pulcritudinis vel illecebrarum conformatione, sed ex ipsa argumenti natura oriuntur. Etenim quoniam argumentum omnis poe-

ſeos in ſerie aliqua cogitationum verſatur, tot diverſitates poeſis, quod ad argumentum attinet, habere debebit, quot modis ſeriem cogitationum conſiderare licet. Atque in hac quoque disputatione adhibendae erunt formae illae, quas philoſophi quantitatem et qualitatem et relationem et modum dicunt. Quibus formis quae diverſitates poeſeos conſtituuntur, eae non ſolum ad poeſin, ſed etiam ad proſam orationem accommodatae ſunt. Quoniam enim ex argumento, quod omnino in cogitationibus ineſſe poteſt, derivantur, non ſunt quarumdam orationis formarum propriae, ſed communes omnium.

Verſatur autem primo quantitas ſeriei cogitationum in hac quaeſtione, utrum una ſit cogitationum ſeries, an plures, an denique ſimul utrumque. Ac quoniam omnis notitiarum et cogitationum varietas eo una eſt, quod ab uno eodemque animo una comprehenſionis perpetuitate coniungitur, patet ſeriem cogitationum unam eſſe, quae eſt unius hominis. Quare pro numero perſonarum, quas loquentes in poeſi videmus, tria conſtituentur poeſeos genera, primum, quod unius orationem continet, ſecundum, in quo diverſi colloquuntur, tertium, in quo priora duo coniuncta ſunt, id eſt, in quo poeta ipſe diverſorum ſermones refert. Sed rudis haec deſcriptio eſt, nec multo melior iis, quae dedit Ariſtoteles III. 2. *μιμεῖσθαι ἔστιν, ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα, καὶ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ· ἢ ὡς τὸν αὐτόν, καὶ μὴ μεταβάλλοντα· ἢ πάντα ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους.* Itaque haec, quae ad communem et vulgarem opinionem accommodata protulimus, paullo accuratius ad cauſſas ſuas revocemus. Non enim eſt in eo conſiſtendum, quod ſtatim in oculos et ſenſus incurrit, ſed eorum, quae rudia animadvertimus, certae et ab omni parte definitae notiones animo informandae ſunt.

Igitur unum ita vocamus, ut id remota aliorum omnium ſocietate tale cogitemus, a quo omnis numerus et multitudo

necessario absit. Quod si quo in carmine seriem cogitationum unam, id est unius hominis, qui necessario unus sit, inesse contendimus, ea ipsius poetae est, suas cogitationes, suos sensus referentis. Haec quidem forma poeseos non habet nomen, quo ab aliis distinguatur.

Plures vel multitudinem aliquam ita cogitamus, ut ea numerum quidem admittat, sed incertum, aliquid autem necessario ab ea exclusum sit: quia, si nihil esset exclusum, non multa, sed omnia haberemus. Atqui in poesi quae personae occurrunt, aut poeta sunt, aut alii. Alii excluso poeta numerus sunt, sed incertus. Quod si poeta nihil nisi alios loquentes introducit, ipse autem prorsus non comparet, non erit una series cogitationum, quam exhibet, sed plures, quia hominum sunt eorum, quorum multitudo numerum admittit. Quae multitudo quoniam, si summam eius vim, quam ideam vocant, cogitatione comprehendimus, in eo versatur, ut aliquid, aliqua re exclusa, omnino facultate habendi numeri praeditum sit, manifestum est, in hoc genere poeseos, quod plurium cogitationes continet, illa quoque carmina numerari debere, in quibus nihil nisi una a poeta diversa introducitur persona, ut in Lycophronis Cassandra. Primum enim ab eo, qui introducitur, diversus est poeta; deinde qui introducitur, non est necessitate quadam unus, sed casu, quia quis numerus debeat esse plurium, non est definitum, dum sit omnino aliquid, quod possit numerari. Hoc genus poeseos, in quo nihil nisi personae a poeta diversae sunt, vocatur *dramaticum*.

Denique omnes dicuntur, qui et plures sunt, et simul unum quiddam constituunt. Ac patet cogitationes plurium hominum non posse aliter in unam cogitationum seriem coniungi, nisi si eo, quod sunt plurium hominum, simul sunt unius, id est, si unus, dum aliorum personas induit, suam perpetuo sustinet. Divisimus autem omnem hominum multitudinem in duas partes, poetam et alios, quarum partium

eam, quae alios complectitur, eo tantum iudicari diximus, quod diversa est a poeta, et ob hanc ipsam caussam numerum admittit. Cuius partis si non eam notionem, quam experientia exhibere possit, sed illam, quae summam rei vim complectitur, animo informatam habemus, patet recte dici posse, hoc genus poeseos vel orationis, in quo scriptor suam perpetuo personam servans alienas in se suscipit personas, ab illis generibus, quae supra commemoravimus, eo differre, quod omnes personas coniungat, etiamsi forte praeter poetam una tantum persona adhibita sit. Eminet in poesi, quae ex hoc genere est, epica. Inde nomen huic formae faciemus *epicae*.

XIV.

De divisione poeseos ex argumenti qualitate.

Qualitatem in notionibus vocamus convenientiam earum cum re, cui significandae inserviunt. Ea tres modos habet, affirmationem, si signum est rei significatae proprium, ut quum dulce aliquid dicimus proprie; negationem, si signum est rei significatae contrarium, ut quum per ludibrium dulce vocamus, quod amarum est; limitationem, si signum quodammodo est rei significatae signum, quodammodo non est, ut quum dulce appellamus, quod iucundum quidem, sed saporis expers est. Haec quemadmodum in singulis notionibus comparata sunt, eodem modo se habent, si ad seriem aliquam cogitationum adhibentur.

Ac primo loco affirmationem spectamus, quae est in eo posita, ut aliqua series cogitationum vere sit signum eius rei, quae per eam significatur. Hoc genus *planum* vocabimus.

Deinde negatio versatur in eo, ut per seriem aliquam cogitationum contrarium eius indicetur. Hoc genus sive in poesi sive in prosa oratione *satirae* nomen habet. Iuvenalis de iudice multiciis vestito:

en habitum, quo te leges ac iura ferentem
vulneribus crudis populus modo victor, et illud
montanum positis audiret vulgus aratris.

Sed plerumque satirarum scriptores ridicula praeferunt, quia in his quoque, ut supra ostendimus, aliquid dicitur, quod non debet intelligi, intelligitur autem, quod non est dictum. Saepe etiam, praesertim si qui severiores sunt atque acerbiores, ut Iuvenalis, neque iis, quae in cogitationibus contraria sunt, neque ridiculis utuntur, sed, quae res consimilem vim habet, contraria in illecebris consectantur, immania, turpia, foeda adhibendo, unde exsistat sublimitas. Iuvenalis de periuro:

adspice, quanta
voce neget; quae sit ficti constantia vultus.
per Solis radios, Tarpeiaque fulmina iurat,
et Martis frameam, et Cirrhaei spicula vatis,
per calamos venatricis pharetramque puellae,
perque tuum, pater Aegaei, Neptune, tridentem.
addit et Herculeos arcus, hastamque Minervae;
quidquid habent telorum armamentaria caeli.
si vero et pater est, comedam, inquit, flebile nati
sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.

Haec enim quum ita dicantur, ut odium et contemptum manifestum faciant, iisdem cupiditatibus animos lectorum incendunt, sublimique amissae virtutis implent desiderio.

Denique limitatio seriem cogitationum requirit, simul et convenientem rei significatae, et non convenientem. Non convenit eo, quod alia res nominatur, quam quae debet intelligi: convenit eo, quod ea res, quae nominatur, similitudinem habet cum illa re, quae intelligitur. Id in singulis notionibus metaphora, in serie cogitationum allegoria vocatur, nomine a Graecis petito. Est ergo hoc poeseos vel orationis genus *allegoricum*. Ex hoc genere etiam sunt aenigma-

ta, nisi quod haec talia sunt, ut res, quae nominantur, si proprie intelliguntur, non possint coniunctae cogitari, quod non est in omni poesi allegorica. Aenigmatis exemplum attulit Aristoteles:

ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα
οὕτω συγκόλλως, ὥστε σύναιμα ποιεῖν.

Alterius modi exemplum in his est:

ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκόρπιος, ὦ 'ταῖρ', ὑποδύεται.
φράζευ μή σε βάλῃ.

XV.

De divisione poeseos ex argumenti relatione.

Perfacilis explicatio est relationis, quae in serie aliqua cogitationum inveniri potest. Relatio enim cogitationum continetur nexu, quem inter se habent. Atqui omnium, quae cogitantur, hic est nexus, ut aut accidentia sint eius, quam substantiam vocant philosophi, aut in caussarum atque effectuum successione versentur, aut partium denique varietate totum aliquid mutuo nexu constituentium censeantur.

Ac quae poesis vel oratio rerum accidentia, quae dicuntur, exponit, ea *descriptio* est, ut Meleagri carmen, quo ver describitur.

Quae autem poesis atque oratio caussarum atque effectuum consequutionem enarrat, eam vocamus *narrationem*, qualis epica poesis est. Quamquam non satis apta haec appellatio videtur. Nam etiam tragoedia et comoedia ad hoc genus pertinent, quas vix quisquam narrationes dicere volet.

Denique quae poesis vel oratio partes mutuo nexu in unum quiddam ac totum coniunctas habet, eius officium est docere. Neque enim docere aliud quidquam est, quam diversarum rerum inter se coniunctionem, ex alia re, per

quam istae res unum quiddam constituant, repetendam, ostendere. Docentes enim id agunt, ut singularia e quibusdam generalibus, quibus illa comprehensa sint, disputando deducant. Hoc genus poeseos *didacticum* vocari solet, ut Lucretii opus de rerum natura.

XVI.

De divisione poeseos ex argumenti modo.

Sequitur denique modus, quo ad animum referatur series aliqua cogitationum. Hic in eo versatur, ut cogitationes inter se nexae sint, aut quemadmodum ipsa rei tractatae natura eas necti postulat, aut quemadmodum pro alicuius arbitrio necti possunt, aut quemadmodum certae legis necessitas eas necti iubet.

Si ita sunt nexae, uti ipsa rei per eas significatae natura postulat, *simplicem* voco poesin vel orationem. Consequuntur hoc poetae ita, si sua animi affectione occultata rem simpliciter, qualis est, exponunt. Id maxime proprium epicae poeseos est, cuius perfectissimum exemplar Homeri poesin habemus. Is quo ipse modo affectus sit, non significat: totus ipsius rei narratione occupatur: hanc ante oculos lectoribus collocat: hanc intueri unam admirarique cogit: res ipsa loqui videtur: poeta quid sentiat, nescimus.

Secundum genus, quod ita nexas habet cogitationes, uti pro alicuius arbitrio necti possunt, *lyricam* poesin complectitur. In prosa oratione non habet, quo nomine appelletur. Hoc plane contrarium superiori generi est. Non enim rem, qualis est, nobis ostendit, sed qualis esse possit, si eam hoc vel alio modo consideremus. Quare lyricus poeta ubique se ipsum, suam animi affectionem, sua desideria lectoribus intuenda praebet, qui, ut ipsi longe aliter sentiant, at fatebuntur tamen, si quis ita, ut poeta, animo affectus sit,

eum rem eodem modo, quo ille, considerare et tractare posse.

Tertius denique modus, quo necti cogitationes possunt, is est, qui necessitate quadam constitutus est. Quae necessitas posita est in certa quadam et immutabili carminum forma, quae et partes aequales, et pro his partibus eadem aequabilitate motus animi, dictionis rationem, metrorum repetitiones distinctas habet. Hoc genus *cantionum* nomine vocatur, cuiusmodi Harmodius est, notissimum scolion. Alia minus apta exempla praebere ausi sunt poetae bucolici, ut Theocritus in secundo idyllio, quod expressit Virgilius, Bio in epitaphio Adonidis, Moschus in epitaphio Bionis. Nam quum omnino hexametri heroici varietas non sit apta cantionibus, tum hoc in illis carminibus incommodum accidit, quod versus is, qui saepius repetitur, partesque distinguit, neque post parem numerum versuum ubique recurrit, neque ubique in fine sententiae est. In prosa oratione, ne hanc praeteriisse videar, similis conformatio est ea, quae sollemnibus verborum formulis aliquam certae regulae necessitatem orationi inducit, ut in legibus, in sacris, in titulis.

Patet lyricae poeseos appellationem angustiore significatu, ac solet, supra a nobis positam esse, qui cantiones ab ea secernamus: sed si non gratia habenda, certe venia danda est fluctuantia nomina accuratius definienti.

XVII.

De coniunctione divisionum poeseos.

Ex iis, quae hactenus disputata sunt, consequitur, triplicem omnino dividendae poeseos rationem esse. Etenim in unoquoque argumento et argumenti conditio, et pulcritudinis diversitas, et si quid illecebrarum accedit, quo id ex genere sit, spectandum est. Dicam de his paullo explicatius.

Ac divisionum poeseos, quae ex argumenti natura petuntur, haec ratio est, ut nullum sit carmen; quin pro quadruplici argumentorum divisione ad unam semper e tribus illis formis, quae quantitate, qualitate, relatione, et modo continentur, referri debeat. Vt exemplis rem illustremus, tragoedia, quod ad quantitatem attinet, non unam seriem cogitationum, sed plures complectitur, id est, formam habet dramaticam; quod ad qualitatem, neque satirica, neque allegorica, sed plana est; quod ad relationem, ex eo genere est, quo caussarum et effectuum consequutio exponitur, quod genus inopia aptioris vocabuli narrationem diximus; quod ad modum, simplex est, nisi quod in Graeca tragoedia lyricae partes sunt. Epicae poeseos argumentum a tragico differt sola quantitate, quia plurium simul et unius cogitationes complectitur. Horatianum illud,

Donec gratus eram tibi,

quantitate dramaticum, qualitate simplex, relatione narratio, modo cantio est. Scolion illud,

ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκόρπιος, ὦ 'ταῖρ', ὑποδύεται·
φράζευ μή σε βάλῃ· τῷ δ' ἀφανεῖ πᾶς ἕπεται δόλος,

quantitate series cogitationum una est; qualitate allegoricum; relatione didacticum; modo lyricum.

Ad hanc definitionem cuiusque carminis accedere porro debet pulcritudinis consideratio. Ac pulcritudo quum duas formas habeat, venustatem et sublimitatem, necesse est, ut unumquodque carminis genus, quod pro argumenti conditione ad quatuor illas supra expositas partes revocatum sit, iterum dividatur in venustum et sublime. Vt exemplo res declaretur, carmen, in quo poeta suam perpetuo personam sustinet, sed ita, ut etiam alienas personas induat; deinde quod neque satiricum, neque allegoricum, sed planum est; porro quod rerum gestarum aliquam consequutionem continet; denique quod neque lyricum, neque cantio, sed simplex est;

id carmen aut sublime est, ut Homeri Ilias, aut venustum, ut Wielandii Oberon. Vtrumque vocatur epos, neque pulcritudinis diversitatem in hoc quidem genere discrimina nominum indicant. Sed aliud carminis genus, quod ab illo nulla re, nisi absentia personae, quae ipsius poetae est, differt, id si sublime est, tragoedia vocatur; si venustum, ambiguo dramatis nomine notari ab nostris solet.

Vltimo loco spectandae illecebrae sunt, quae ut ad naturam poeseos fortuitae sint, at in multis poeseos generibus e natura argumenti oriuntur, in aliis sponte se earum adhibendarum facultas offert. Vt in genere dramatico quae vocatur tragoedia, ab ea non possunt abesse illecebrae, quas sympathiae nomine supra appellavimus. In iis autem fabulis, quarum propria venustas est, si illecebrae accedant, quae in ridiculo sunt positae, comoediae vocari solent. Quamquam venustas non ita est comoediarum propria, ut non possit cum sublimitate permutari. Sed si ridiculi aut nihil aut parum est in venusta fabula, ut in Terentianis, maior conceditur sympathiae potestas. Quod genus, ut paullo ante dixi, dramata nunc vocare solent.

XVIII.

De argumento tragicae et epicae poeseos.

Quae hactenus exposita sunt, eo consilio attulimus, ut quasi fundamenta quaedam iaceremus, quibus superstrui posset, quae nunc sequetur de discrimine tragoediae et epicae poeseos disputatio. Ipsam enim rem, de qua sermo est, antea cognovisse decet, quam de ea recte disserere, et quibus partibus constet, partesque ipsae quomodo inter se differant, indicare possis. Ac poeseos, ut pulcrarum artium omnium, ea conditio est, ut paene nihil, nisi argumentum eius et res, quas tractat, in disputationem veniant. Forma, quo nomine

hic pulcritudinem intelligimus, natura ſua claras notiones ab ſe ſpernit, ſentirique, non demonſtrari poſtulat. Quamquam in hoc quoque genere aliquid eſt, de quo ſatis certa ratione disceptare philoſophus poſſit. Etſi enim ipſa per ſe pulcritudo ad claras notiones revocari nequit, vincula tamen oſtendi poterunt, quibus ea cum quoque argumento cohaereat. Alia enim argumenta aliud genus, aliam conformationem pulcritudinis, alias omnino illecebras requirunt: de quibus rebus ſatis accurate exponi poteſt, quia habemus in argumentis claras notiones, a quibus exorſa disputatio amplius progredi queat.

Igitur ut ad tragoediam atque epicam poeſin redeamus, (neque enim omnem poeſin, ſed has tantum partes, quas Ariſtoteles tractavit, explicare animus eſt) univerſam disputationem aliter inſtituiſſet Ariſtoteles, ſi ea ſpectaſſet, quae prima ſunt in hoc genere elementa. Quae ille quum neglexiſſet, fieri non potuit, quin neque differentiam utriusque poeſeos, neque omnino naturam recte exponeret. Ac quoniam ab argumento eiusque diverſitatibus hanc omnem quaeſtionem repetendam eſſe ostendimus, id primo loco ponendum eſt, quod commune eſt utriusque poeſeos argumentum. Id vero verſatur in *actione ſublimi.* Actionis enim expoſitionem tragoedia atque epica poeſis etiam cum aliis generibus communem habet, ut cum comoedia, cum iis, quae dramata vocantur, cum hilariore poeſi epica. Sed quae excellentiae cauſſa epica poeſis dicitur, pariter ac tragoedia ſublimem actionem requirit. Quod ſi indicari poterit, quid ſit, quo ſublimis fiat aliqua actio, habebimus, quo utriusque generis naturam accuratius poſſimus deſcribere. Atque omnis actio poſita eſt in contentione virium inter ſe pugnantium: ſublimitas ergo actionis eo cenſebitur, ſi vires iſtae natura ſua ad ſublimitatem factae erunt. Quod ſi rationabilem naturam, quoniam in talium naturarum actionibus verſantur haec

poeseos genera, spectamus, eius quae propria vis est, libertas, suapte natura sublimis est, quia immensa est, nec potest vinci. Huic opposita est vis naturae carentis ratione. Ea vis necessitas est, pariter illa, ac libertas, natura sua sublimis. Nam aeternis legibus suis, primigenia vetustate, invicta vi admirationem et horrorem facit. Itaque sublimis actio in contentione posita erit libertatis et necessitatis. Quae quidem contentio qualis esse possit ac debeat, infra videbimus.

XIX.

De unitate actionis generatim.

Contentio quum non sit nisi aliquorum contendentium, patet primariam rem sive in tragoedia sive in epico carmine hanc esse, ut et ea, quorum contentio est, introducantur, et contentio ipsa perducatur ad finem; caetera autem omnia, quae a notione contentionis semel posita abhorreant, omittantur. Haec intellexit, non plane explicuit Aristoteles, quum actionem debere unam et integram et perfectam esse dixit. Sunt autem, ut supra diximus, ea, quorum contentio est, libertas et necessitas. Harum introductio continetur explicatione rei, in qua perficienda vim suam expromunt, instrumentorumque, quibus ad eam rem perficiendam utuntur. Horum omnium introductio nodus vocatur, quem patet in ipso carminis initio exponendum esse, quia sine eo actio aut nulla foret, aut alia. Solutio nodi finis est et actionis et carminis. Nam peracta necessitatis voluntate, finitisque libertatis conatibus absolvitur actio: cui si quid amplius adderetur, id ab actione ea, quae quoque carmine exponitur, esset alienum. In qua re saepe peccavit Euripides. Sunt ergo in quaque actione eae tantum necessariae partes, quae ipsis illis rebus, quarum dimicatio est, continentur. Quidquid praeterea adiiceretur, id ut fortuitum reprehendi deberet. Quamquam

enim in communi vita multa casu fieri putantur, nihil tamen casu fieri potest in tragoedia et poesi epica. Ratio facile potest intelligi. Poesis enim, quae aliquam actionem exponit, iudicari debet iis rebus, e quibus poeta actionis, quam enarrat, notionem composuit. Est enim universa poesis intellectus et rationis opus. Quodsi in illa notione casum non disertim adiecerit, quod facere comicus poeta posset, non ad actionem casus pertinebit, sed, si adhibetur, eam turbabit. In communi vita autem latiore utimur actionum notione, quia multas eventuum caussas ignorare nos intelligimus. Quibus si quid praeter spem atque opinionem effectum videmus, id casui tribuimus, non quod vere quidquam casu fiat, sed quo indicemus, in iis rebus, quibus effici aliquid possit, etiam ignotas quasdam caussas esse. Haec ergo prima est tragicae atque epicae actionis lex, ut ne quid casui tribuatur. Rem illustrabo Oedipi exemplo. In fabulae initio consilium et finis actionis aperitur. Quamquam id brevius fieri debebat. Rectius enim ea, quae ante chori parodum leguntur, cum scena, quae sequitur parodum, coniuncta essent. Peste liberare Thebas constituit Oedipus. Dictio Apollinis id effectum iri significat, si de Laii caede vindicta sumatur. Itaque actio omnis versatur in quaerendo puniendoque Laii interfectore. Qui eum protrahere possint, duo sunt, Tiresias, et servus, qui solus ex Laii comitibus sospes evaserat. Tiresias perplexis dictis Oedipum adducit, ut a Creonte sibi insidias parari credat. Servus, ad quem inveniendum Iocasta opus est, rem manifestam reddit. Iocasta, ut coniunctissima cum Oedipi forte, non potest non in societatem calamitatis trahi: filiae, mutae personae, augent Oedipi dolorem. Fit, quod in fatis est, sed fortiter sustinente Oedipo. Soli superflui sunt sacerdos cum supplicibus pueris, et, qui casu advenit, Corintho missus nuncius.

XX.

De differentia actionis tragicae et epicae.

Tragicam pariter atque epicam actionem in contentione libertatis et necessitatis versari diximus. Sed quoniam omnis contentio eo denique finitur, quod altera e viribus inter se contendentibus victa cedit, quaerendum est, quo pacto id fieri queat in libertatis et necessitatis dimicatione. Neutra enim harum rerum talis est, quae vinci possit: non necessitas, quia, si vinceretur, non esset necessitas; non libertas, quia eo libera est, quod vinci se non patitur. Itaque quidquid hoc dimicationis est, non id eo spectabit, ut altera alteram vincat, sed ut alterius potestati se non esse subiectam atque obnoxiam ostendat. Id autem sic tantum fieri poterit, si quid sit, in quo utraque pariter imperium habeat, sed illud ita divisum, ut, quod altera potest, id altera nequeat. Id vero humana natura est, quae et libertate regitur, et necessitati paret. Libertas eam ad agendum compellit, necessitas pati cogit. Atque quum nec libere quidquam fiat, nisi fieri necessitas destinaverit, nec necessitate quidquam eveniat, nisi ut aliquid etiam libertati agendum relinquatur: clarum est, ita demum ostendi posse, libertatem non esse necessitati, necessitatem autem non esse libertati subiectam, si aut ea, quae necessitas fieri postulat, libere fiant, aut, quae quis libere facturus sit, eveniant necessitate. Vtrumque diligentius considerabimus.

Primum positum est, libertatem potiore loco esse, si ea, quae necessitas fieri iubeat, libere fiant. Ac necessitas in iis potissimum rebus cernitur, quas humana natura aversatur. Quae enim expetit, ea comparare libertatis est. Mala autem quia non expetuntur, sed fugiuntur, non possunt non, si accidunt, necessitati tribui. Quod si libertatis vim in clara luce collocari volumus, debebit hoc ita fieri, ut honesti con-

filii caussa etiam mala sustinere hominem cogat. Quae quum adducere necessitatis sit, eripitur sua necessitati vis, si maius quiddam et potentius, quod sponte mala subeat, adest. Minitatur cladem necessitas; ultro eam arcessit libertas: affert mala necessitas; perfert libertas: dolores excitat necessitas; compescit eos libertas: perdit hominem necessitas; contemnit mortem expers ruinae libertas. Haec vero, quae per libertatem fiunt, *facta* dicimus. Quo vocabulo sic utemur, ut ea intelligamus, in quibus libertas se non esse necessitati obnoxiam ostendit.

Alterum posuimus, necessitatem eminere, si ea, quae quis libere facturus esset, necessitate evenirent. Quod si quis forte necessitatis potentiam magis illustrari censeret, si ea, quae quis fieri nollet, perficeret necessitas, in tali caussa aut fracta libertate succumberet homo, quo facto ne comparari quidem inter se necessitas et libertas possent, aut, si fortiter adversam necessitatis vim perferret, libertas, ut modo ostendimus, foret illustrior. Quare necessitas non potest aliter libertate potentior ostendi, nisi si libertati frustra vires suas contendenti subveniat, ipsaque illud, quod libertas non potest, effectum reddat. Homo, constanter propositum suum persequens, vincendis laboribus, quos ei necessitas imponit, manifestam reddit libertatem. Sed necessitas in ea hominem pericula coniicit, unde quum libertas eum nulla eripere possit, ipsa, quo ius suum sibi vindicet, eum salvum evadere iubet. Ita et libertas sustinendis malis conspicua redditur, et multo magis necessitatis potentiam admiramur, cuius sine auxilio inanem esse libertatis conatum intelligimus. Hoc vero, quod ita efficitur, *eventum* dicimus.

Igitur facta atque eventus pro his, quas posuimus, definitionibus et fine et exitu differunt. Primum fine. Nam in factis libertas ostendit, nihil tam dirum a necessitate immitti posse, quin id libere praeoptare et sufferre homo queat; in

eventibus autem necessitas manifestum facit, nihil posse libertatis contentionem, nisi adiutricem habeat necessitatem. Deinde exitu. Nam in factis et libertas et necessitas ad id, quod humana natura desiderat, perdendum conspirant; in eventibus utraque in eo elaborat, ut id, quod consequi homo studet, effectum reddatur.

Ex his duabus actionum conformationibus, quibus factorum et eventuum nomina tribuimus, facta dramaticam poesin, eventus epicam sibi vindicant.

In factis enim quoniam libertatis vim et potentiam demonstrare oportet, eam si narratione manifestam reddere vellet poeta, id ipsum, quod efficere studeret, periturum esset. Quantumvis enim vivide aliorum cogitationes et dicta referat, numquam tamen is, quem introducit, ita loqui videbitur, nihil ut debeatur narranti. Ac non solum brevitas illa et celeritas, quae in colloquiis hominum tantam ad animi sensus declarandos vim habet, eam vim per narrationem alius amittit, verum etiam hoc, quod facta non ante oculos collocantur, sed expositione indigent, libertate quasi e conspectu removenda metum, miserationem, admirationem, et quae sunt alia huiusmodi, minuit ac debilitat. Contra in poesi dramatica ipsos animi motus, ipsas dubitationes, ipsa consilia, saepe etiam facta eius, cuius libertas animos nostros exspectatione suspensos tenet, cernimus; nihil, quod eum agitet, praetermitti; nihil, quod ad agendum impellat, latere potest; dimicatio, quam libertati eius imminere videmus, contentio, victoria denique libertatis et celerrime et vehementissime mentibus se nostris insinuat; ipsi, quae ille agit, agere; ipsi cum malis confictari; ipsi animum ad ingruentem necessitatis vim obfirmare nobis videmur.

Diversa ratio est eius actionis, in qua magis ad necessitatis, quam ad libertatis admirationem animum advertimus: quod genus eventum diximus. Necessitas enim firma et con-

ſtans eſt, cogitatioque eius caret animi motu et perturbatione. Nam ſic demum concitat animos, ſi eſſe aliquem videmus, qui crudelitatem eius experiatur. Quamobrem ſi quis neceſſitatem carmine dramatico illuſtrandam putaret, is tantum abeſt ut neceſſitati primas partes tribueret, ut neceſſitatis cogitatio non niſi propterea in mentem ſpectatoribus ventura eſſet, quod eos, quibus faverent, miſeros reddi viderent. Atqui hoc ſi fieret, ſecundarius locus neceſſitatis, primae partes libertatis eſſent. Quod ſi has neceſſitati concedi, et huius cogitationem ante omnia animis fixam haerere volumus, narrante opus eſt, qui ubique neceſſitatis decreta ante oculos noſtros adducat; qui ſingulas partes eo tendere oſtendat, ut eveniat, quod neceſſitas iubet; qui animos narrationis aequabilitate ab nimio ſtudio, quo alioquin agentibus perſonis intenti forent, avocet, et ad magni cuiusdam eventus exſpectationem convertat. Narrans enim quoniam ab agentibus perſonis diverſus eſt, quum omnia, quae ex illorum perſonis loquitur, moderatiora et ita, ut ipſum ubique agnoſcamus, profert, tum finem, ad quem omnia ſpectant, et rei ſummam et ipſe ſemper animo infixam habet, et lectoribus perpetuo poteſt oſtendere. Huiusmodi illud eſt:

genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altae moenia Romae.

Et,

tantae molis erat, Romanam condere gentem.

Omnino, ut paucis hanc omnem disputationem comprehendamus, actiones, prout aut facta, aut eventus primarias partes tenent, eo differunt, quod eas, in quibus facta potiora ſunt, intueri, eas, in quibus eventus, cogitare convenit. Facta enim ut animum commoveant, oſtendi et ante oculos exhiberi debent, quia conſiliis, ſtudiis, cupiditatibus, animi motibus continentur, quas res, ut quales ſint ſcias, cerni opus eſt; eventus autem ut admirationem faciat, ab

aliquo describatur necesse est, quia necessitas non, ut libertas, finem, ad quem tendit, ipsa significare potest. Quare quum finem, quo consequendo fit ut sit necessitas, non in ipsa eorum, quae fiunt, successione expressum videamus, cogitatione comprehendi ille semperque praesens servari debet. Itaque esse debet aliquis, quo monitore uti possimus, ne rerum varietate vel iucunditate distracti finem, ad quem omnia spectant, quasi e conspectu amittamus, necessitatemque, ex qua maxime oriri admiratio debet, obliviscamur.

XXI.

De unitate actionis tragicae et epicae.

Ex hac diversitate alia nascitur dramaticae et epicae poeseos differentia. Etsi enim in utroque genere actio debet una esse et perfecta, alia tamen ratione una erit, si eam intuemur, ut in poesi dramatica; alia, si eam cogitamus, ut in epica poesi. Nam ipsius quidem actionis eadem ubique est notio. Constat ea e partibus quibusdam, quae necessitate quadam ita inter se iunctae nexaeque sunt, ut inde totum quiddam efficiatur. Sed ad mentem nostram et perceptionem multum interest, utrum eam intuendo an cogitando cognoscamus. Nam si intuendo notionem actionis animo informamus, hoc modo debebit una esse, quo ea, quae intuemur, una esse animadvertimus; sin cogitando, eo modo, quo notiones cogitatione iunctas complectimur. Ac quae intuemur, eo sunt una, quod temporis perpetuitate continuantur; quae cogitamus, eo, quod notionum inter se copulatione cohaerent. Quae quum ita sint, in dramatica actione temporis perpetuitas requiritur, quam unitatem temporis vocare solent. Huius rei usum et necessitatem antiqui natura duce multo melius, quam recentiores, perspexerant. Nam si scenis vel actibus finitis aliquid temporis vacuum praeterire poetae fingunt, quid aliud

quam dramaticam poesin in epicae poeseos fines commigrare faciunt? Neque enim intuendo prosequi personas per illud temporis spatium possunt spectatores, sed monitore indigent, qui aliquid iam non intuendum, sed cogitandum esse indicet. Qui quidem monitor perinde est utrum ipse poeta sit, ut in epica poesi, an rei, quae tractatur, natura et ratiocinatio spectatorum. Peius etiam falluntur, qui loci unitatem, quam vocant, in dramatica poesi aut sic, ut faciunt, necessariam putant, aut ita negligi posse censent, ut certe non in ipsis actibus mutetur locus. Vtrumque ineptum est. Quidni enim locus mutari possit, si modo temporis perpetuitas maneat? Nam si res non in theatrorum angustiis ageretur, histrionem ex alio loco in alium prosequi spectatores possent. Quod si in theatris locus mutatur, id non propter loci mutationem reprehendi debet, sed quia temporis perpetuitas ea re tollitur.

Epicae actionis alia unitas est. Quoniam enim epica actio non agitur coram nobis, sed narratur; non cernitur, sed cogitatur: nihil aliud requirimus, nisi ut has eius partes cognoscamus, quae cogitando intelligi comprehendique possunt. Itaque non modo temporis perpetuitas recte negligitur, quia, etiamsi tempus non unum sit, notio tamen actionis una est; sed etiam plura simul gesta narrari deinceps possunt, neque ordo narrationis idem est, qui rerum gestarum, sed quem perspicuitas exigit. Ob eamdem caussam alienas res, quae episodia vocantur, addere licet, quarum hic usus est, ut vel praeterita vel futura, quae aliquam in illustrando argumento vim habeant, in lectorum notitiam adducantur.

XXII.

De primarum partium persona generatim.

Tragicam atque epicam actionem in libertatis et necessitatis contentione positam esse diximus. Quae contentio si poe-

seos auxilio explicanda atque illustranda est, non possunt solae ac nudae inter se committi libertas et necessitas, quia talis contentio ad cogitationem, non ad sensum apta foret, sed per imagines quasdam et simulacra, in quibus earum vis expressa sit, quasi oculis subiici et ad animi sensum accommodari debent. Atque ut primo de libertate dicamus, ea ut sensu comprehendi possit, non omnino libertas, sed alicuius libertas sit necesse est. Vocamus autem eum, qui praeditus est libertate, personam. Personis ergo nec tragica neque epica poesis carere poterit. Sed quaerendum est etiam amplius, utrum una debeat persona esse, cuius libertas in dimicationem adducitur, an plures esse possint. Clarum vero est, non recte plures adhiberi posse, nisi sic, ut una in his emineat, cuius in factis summa actionis versetur. Nam si plures essent pari dignitate, et quae eumdem finem sibi propositum haberent, ut si quis cladem Spartanorum ad Thermopylas vel sacrae Thebanorum cohortis ad Chaeroneam carmine tractaret, quidquid hi fortiter et strenue facerent, non posset id aliter una notione comprehendi, nisi generali cogitatione libertatis. Atqui sic illud ipsum periret, cuius caussa personae adhibitae fuissent. Adhibentur enim propterea, ut generalis notio libertatis per singulare exemplum exprimatur, non ut per generalem notitiam explicentur exempla singularia. Nostri hoc vocant *individualisiren*. Idque proprium poeseos est, quae si generalia ubique usurparet, cogitationi, non sensui pulcritudinis inserviret. Quod si generalia intelligit quidem, sed singularia nominat, id consequitur, ut adiunctis obscuris cogitationibus, quibus pulcritudinem cerni supra ostendimus, animum tangat et moveat.

XXIII.

De moribus.

Sed personae natura non in hoc solo posita est, quod libertate est praedita; quippe haec quoque non singularis, sed generalis notio foret liberae naturae: verum accedere debet id, quo differunt inter se naturae libertatis participes. Id vero ingenio, indole, moribus continetur. Itaque etiam mores in tragica atque epica poësi necessarii sunt. Sed quoniam utrumque poeseos genus sublime est, moribus utendum est iis, qui ad sublimitatem apti sunt. Hos qui negant alios esse, nisi probos, quae etiam Aristotelis sententia fuisse videtur, non plane rem perspexerunt. Nam etiam minus probi mores, immo scelerosi, saepe haud exiguam sublimitatem habent. Etenim hoc tantum ad sublimitatem requiritur, ut indoles hominis alta, nec fortitudinis et constantiae expers sit. Qua indole si quis praeditus est, is quo atrociora scelera perpetrabit, eo maiorem libertatis vim in subeundis periculis, in sufferendis malis, in obstinata adversus poenitentiam pervicacia ostendet. Quare etiam si eum vel maxime oderimus, non poterimus tamen non admirari. Habet enim omnia, quae ad honestatem, in qua summa hominis sublimitas est, necessaria sunt, nisi quod male iis utitur. Quare hoc genus hominum non ita pravum est, ut ubique scelestos se praebeant, sed multa recte, honeste, generose facere solent. Quippe ostendunt illi, si vellent, posse se esse probos: eamque ob caussam multo sunt praestantiores illis, qui nihil turpiter faciunt, quia non possunt nec turpiter quidquam, neque honeste facere. Cuiusmodi mores quum sint omni sublimitate expertes, a primaria persona sive in tragoedia sive in epico carmine arceri debent. Nam quae hactenus diximus, non nisi ad personam primarum partium spectant. Quae praeterea personae introducuntur, earum mores ita debent com-

parati esse, ut et varietate ad pulcritudinem aptae sint, nec natura sua modoque, quo adhibentur, sublimitatem carminis corrumpant. Etenim, ut supra, ubi de illecebris disputabatur, ostendimus, multa, quae per se a sublimitate alienissima sunt, apto tamen usu eam adiuvant atque augent, ut venusta, foeda, deformia. Itaque venustos mores, ut hoc utar exemplo, non modo non improbamus in tragoedia atque epico carmine, dum ne sint primariae personae, sed saepe etiam in incrementis sublimitatis habemus, ut Chrysothemin in Electra Sophoclis. Sed idem in Antigona cum aliquo pulcritudinis damno custodem finxit vilem atque abiectum.

XXIV.

De animi affectionibus.

Aristoteles quum πάθη in tragoedia atque epico carmine necessaria esse diceret, facinora atrocia et diras calamitates intellexit. At non has res, sed illud afferre debebat, quod per has res efficeretur. Dico autem animi affectiones ad sublimitatem aptas. Etenim quoniam contentio libertatis et necessitatis re aliqua indiget, in qua commune sit utriusque imperium: ea res quum sit ipsa hominis natura, in hac conspicuam fieri istam contentionem par est. Itaque tum ab necessitate iactatam, tum a libertate domitam ostendi par est. Haec vero agitatio continetur animi affectionibus et perturbationibus, quarum magnitudine et vehementia vel necessitatis potentiam, vel vim libertatis metimur. Quanta autem sit et quam potens animi concitatio, id non cogitatione potest intelligi, sed sensu percipi debet. Qui quum in aliis non possit nisi per sympathiam excitari, in hoc maxime elaborandum poetis est, ut, quemadmodum personae, quas introducunt, animo affectae sunt, eodem modo etiam spectatores et lectores agitentur ac moveantur. Sunt autem animi affectio-

nes aut in motu positae, aut in cupiditate. Motus ipso iucundi vel iniucundi sensu continetur; cupiditas exspectatione eius. Ac motu, quia hic in sensum cadit, per sympathiam facile movemur. Cupiditas autem, quia non ipsa est motus, sed caussa motuum, non aliter eadem cupiditate nos incendet, nisi si id per motum fieri queat. Id vero fit duplici modo. Nam aut praesagitione quadam rei cupitae tactus aliquis futura animo praecipit, moveturque, et eo motu alios, ut idem secum sentiant, excitat; aut aliud, ac futurum est, exspectans, vel plane etiam de futuro nihil sollicitus, aliquo animi motu implet alios, qui semel ad sympathiam excitati, quum contraria eventura sciant, pro illo cupiunt ea, quae ipse, si rerum status ei cognitus esset, expeteret. E priori genere Orestes est in Choephoris et in Sophoclis Electra; ex altero Oedipus rex, Deianira, Philoctetes. Horum Oedipus civitatis servandae studio, iustitia, strenuitate favorem sibi spectatorum conciliat: mox perplexa Tiresiae dicta maiore metu spectatorem, quam Oedipum, implent. Deianira amore erga Herculem, Philoctetes miseria animos spectatorum moverant. Nunc ubi metuendum est, magis spectatores, quam illae personae, metuunt. Quod si qua persona sine omni motu, cuius alios possit participes facere, ostenditur, non habebit illa omnino, quo cupiditates suas aliis impertiat. Exemplum exhibuit Sophocles in Haemone. Is si amorem erga Antigonam ita patefecisset, ut ea re moverentur spectatores, haberet, qui ei cum patre altercanti faverent; qui intelligerent, quare se interimeret; qui de vita eius essent solliciti; qui denique mortuum dolerent. Nunc horum nihil est. Facere eum multa videmus, sed quid sit, quo compulsus ea faciat, ut intelligere possimus, at sentire, probare, una cum eo facere non possumus.

XXV.

De differentia primariae perſonae in tragoedia et carmine epico.

Demonſtratum eſt ſupra, aliam eſſe libertatis et neceſſitatis contentionem in tragoedia, aliam in carmine epico. In tragoedia enim praecipue libertatis invictam vim, in epico carmine neceſſitatis potentiam illuſtrari; in tragoedia libere fieri, quae humana natura fugiat, in epico carmine neceſſitate perfici, quae humanae naturae vires excedant; in tragoedia id, quod homo deſideret, ei eripi, in epico carmine concedi. Pro his diverſitatibus non poterit non ea perſona, quae primas partes tenet, aliter in tragoedia ſe praebere, aliter in carmine epico.

Atque ut ſummam horum brevi complectar, tragoedia infelicem, epicum carmen felicem exitum habere debet. Felicem enim vel infelicem pro conſiliis et deſideriis primariae perſonae vocamus. Quod ſi felix eſt tragoediae exitus, finis et natura tragoediae evertitur. Nam quum eo maxime eluceſcat hominis libertas, quod malis frangi ſe non patitur, is ſi denique ſecunda uteretur fortuna, libertas eius, quae iam non haberet, ubi reſiſtendo ſe proderet, latitura eſſet: quo fieri non poſſet, quin ea, quae maxima tragicae poeſeos virtus eſt, ut libertatis ſublimitate animum commoveat, aut debilitaretur, aut plane periret. Pariter in epica poeſi, ſi denique infelix evaderet primaria perſona, natura huius poeſeos corrumperetur. Admirationem enim non neceſſitas retineret, ſed libertas in ſe converteret, quae vinci ſe non poſſe ab neceſſitate, eoque maiorem illa eſſe oſtenderet. Quamobrem ſi idem argumentum et tragoedia et epico carmine exponitur, non eadem manebit primaria perſona. Vincit Achilles Hectorem, patria potitur Vlyſſes, Latio Aeneas. Hae fabulae ſi ab epico poeta tractantur, primariae perſonae ſunt Achilles, Vlyſſes, Aeneas; ſin a tragico, Hector, Antinous, Turnus.

Sed ut exitu, quem fortuna primariae perſonae habet, tragoedia et epicum carmen differunt, ita etiam pro diverſitate rei, in qua haec fortuna verſatur, effectum ad animos lectorum habent diverſum. Tragicae enim perſonae proprius eſt dolor, epicae labor. Exponam hoc alienis verbis. Ita igitur Aeſchylus de tragicis Pelopidarum fatis:

> παιδόβοροι μὲν πρῶτον ὑπῆρξαν
> μόχθοι τάλανες.
> δεύτερον ἀνδρὸς βασίλεια πάθη·
> λουτροδάϊκτος δ᾽ ὤλετ᾽ Ἀχαιῶν
> πολέμαρχος ἀνήρ.
> νῦν δ᾽ αὖ τρίτος ἦλθέ ποθεν σωτήρ,
> ἢ μόρον εἴπω;

De epica fortuna autem Virgilius:

> *multum ille et terris iactatus et alto*
> *vi ſuperum, ſaevae memorem Iunonis ob iram:*
> *multa quoque et bello paſſus.*

Itaque tragoedia, cuius proprius eſt dolor, terrorem et miſerationem excitabit. Dolor enim imminens terrorem facit. Nam terror eſt timor cum admiratione coniunctus. Ac timorem affert imminens dolor propterea, quia fugimus dolorem. Admirationem autem commovet eo, quod et neceſſitatis inevitabili decreto, et libertatis pervicaci obſtinatione adducitur. Deinde immiſſus dolor miſerationem facit, quia generoſum et alta indole praeditum affligi videmus. Epici carminis eſt labor. Hic pro eo, quod in tragoedia eſt terror, admirationem cum ſpe coniunctam affert. Ac ſpem quidem, quia et libertas et neceſſitas ad ſuperandum laborem vires ſuas conferunt; admirationem autem, quia ad eum finem et libertatis ſumma contentione, et neceſſitatis auxilio opus eſt. Pro eo vero, quod eſt in tragoedia miſeratio, in epico car-

mine laetitiam habemus, qua non possumus non perfundi, ubi victa impedimenta videmus.

XXVI.

De necessitate generatim.

Quemadmodum poetae non licet nudam libertatis notionem introducere, ita idem ei cavendum est in necessitate. Nam haec quoque ut animum pulcritudinis sensu movere possit, imaginibus quibusdam et simulacris induenda est, quibus quasi ante oculos adduci et maiore quadam vi corripere hominem possit. Id eo consequuti sunt poetae, quod tum leges necessitatis, quae fati nomine comprehenduntur, tum praesides eius deos introduxere. Ac sponte se offert magnum in hoc genere tragicae atque epicae poeseos discrimen. Fati enim in tragoediis ubique, in epicis carminibus rarius mentionem fieri videmus: deos autem ad Homeri exemplum epici poetae paene necessario sibi adhibendos duxerunt; tragici si quando diis utuntur, deus ex machina, quem vocant, facit invidiam. Huius rei caussas ita licebit optime perspicere, si in ipsam necessitatis naturam inquisiverimus. Ac quemadmodum duplex omnino rerum ordo est, alter naturae, quem sensu et experientia cognoscimus, alter natura maior et excelsior, cuius speciem animo informatam gerimus, ita uterque rerum ordo suam sibi propriam legem habet, natura necessitatem, cogitabilis rerum series et complexio libertatem. Nam quaecumque in hoc mundo, quem naturae nomine comprehendimus, fiunt et geruntur, aeterna quadam caussarum necessitate effici animadvertimus; quae autem exempta huius mundi legibus humana mens cogitat, decernit, agit, ea rationis legibus fieri, et fontem habere libertatem intelligimus. Libertatis sensum in nobis ipsis vivum et vigentem gerimus: necessitas autem ita maxime elucescit,

ſi ad libertatem comparatur. Etenim quos libertas hominis ſibi fines conſequendos propoſuit, iis aut repugnat neceſſitas, aut favet. Si repugnat, magis videtur neceſſitas eſſe, quia eam ab nobis arcere non poſſumus, quum velimus. Si favet, eo demum conſpicua fit, quod ea perficit, quae noſtras vires excedunt: eoque praepotens quidem quiddam, ſed minus neceſſarium, quia non plane libertati contraria eſt, eſſe exiſtimatur. Spectant autem conſilia hominis denique omnia ad felicitatem. Quare ſi neceſſitas conſiliis hominum repugnat, malis infligendis; ſin favet, bonis afferendis ſeſe prodit. Ac neceſſitatem, quae conſiliis noſtris adverſatur, et malis nos premit, *fatum* vocamus; Graeci *μόρον*, *εἱμαρμένην*, *τὸ μόρσιμον* appellant: eam autem, quae adiuvat conſilia noſtra, et bonis nos auget, humanitatis ſenſu tacti homines *diis* adſcripſere, quia, quum libertati ipſorum faveret, libertatis magis quam neceſſitatis ſpeciem prae ſe ferre videbatur. Hinc

θεοὶ δωτῆρες ἐάων.

XXVII.

De neceſſitate tragica.

Perſequamur haec amplius. Neceſſitatem diximus ita maxime cenſeri neceſſitatem eſſe, ſi conſiliis hominum repugnet; id autem fieri malis inferendis. Sed quoniam omnis neceſſitas eo demum neceſſitas eſt, quod cauſſis quibusdam continetur, quarum ſuprema denique aliqua cauſſa eſſe debet, in promptu eſt, mentem humanam in ipſa neceſſitatis cogitatione aliquid circumſpicere, quo fiat, ut id ſit neceſſarium, quod neceſſitatem vocamus. Id vero in ipſa rerum natura inveniri non poteſt, quia huius ultimos fontes inveſtigare non eſt homini conceſſum. Quamobrem neceſſitatem ex effectu iudicamus, legemque eius ex iis legibus petimus, quas innatas habet animus ad conciliandos naturae et libertatis fines. Quum enim mens humana, libertatis et naturae diſ-

ſenſum componere ſtudens, bona et mala pro cuiusque virtute distribui poſtulet, neceſſitatis eas eſſe debere leges iudicat, quae ad hunc finem conſequendum aptae ſint. Quod ſi neceſſitatem illam conſideramus, quae malis inferendis cenſetur, ea aut merentibus mala addit, aut immerentibus. Quae neceſſitas quum fati nomen habeat, leges fati triplici modo ab antiquis deſcriptae ſunt.

Prima fati lex eſt, ut ſcelera puniat, id eſt, ut mala tribuat iis, qui felicitate indigni ſunt. Hoc fati officium quibus numinibus datum eſt, Δίκη a Graecis vocantur, et Ἐριννύς, et Ἀλάςωρ, quo nomine iratum numen intelligitur.

Secundum eſt, ſi immerentibus inferuntur mala. Cuius rei cauſſam quum mens humana non poſſet aliam comminiſci, niſi ut iſta mala ad univerſi rerum humanarum ordinis conſervationem neceſſaria crederet, numina ignotis legibus ſortem humani generis moderantia colere coepit. Haec Μοῖραι et Αἶσα dicta ſunt, eiusque interpretes oracula habentur, et divino numine afflati vates.

Tertio denique loco alia ſeſe offert malorum distribuendorum lex, quae nec ſcelere aeſtimatur, ut prima, neque, ut ſecunda, plane ignota eſt: aequam dico bonorum et malorum inter homines distributionem. Aequitatis enim eſt videre, ne aliis nihil niſi bona, aliis nihil niſi mala obtingant. Hoc vero fati officium, quod malis ex aequitate dispertiendis continetur, ei numini tribuerunt, cui nomen ab officio impoſitum eſt Nemeſis.

Haec omnia numina multum diverſa ſunt ab illorum numero deorum, de quibus infra dicturi ſumus. Non enim libera numina ſunt; non arbitrio utuntur ſuo; non in rebus geſtis deorum aliquas partes habent. Nihil ſunt aliud, niſi diverſa fati officia, diverſis appellata nominibus. Itaque quidquid faciant, certa lege agunt, nec poſſunt agere aliter. Quorum univerſa vis et poteſtas quum in malorum distribu-

tione poſita ſit, non poſſunt non propria eſſe tragoediae, in qua neceſſitas unice in malis afferendis expromitur. Atque his numinibus introducendis efficitur id, quod ad poeticam neceſſitatis tractationem neceſſario requiritur, ut certa ſpecie comprehenſa neceſſitas quaſi ante oculos collocetur. Quod quum fieri nequeat, niſi lege, quam ſequitur neceſſitas, commemoranda, haec lex et breviter et condigna cum gravitate per iſta numina, eorumque interpretes indicatur. Nemini latent haec Aeſchyli,

> *ἰὼ Μοῖρα βαρυδότειρα μογερά,*
> *πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά,*
> *μέλαινά τ' Ἐρινύς, ἦ μεγασθενής τις εἶ.*

Et hoc Attii,

> *veter fatorum terminus ſic iuſſerat.*

XXVIII.

De neceſſitate epica.

Altera neceſſitatis forma bonis afferendis cernitur. Eam ſupra diximus fere neceſſitatis ſpecie carere, quia, quum libertatem hominum conſentientem habeat, non ita vim ſuam prodit, ac ſi ei libertas hominum repugnaret. Itaque quae cum votis et deſideriis hominum congruunt, ſed non humana ope contingunt, pia priſcorum hominum ſimplicitas faventibus diis, quam rigidae neceſſitati adſcribere maluit. Benigna enim videbantur numina eſſe, neque ab humanitatis ſenſu aliena, quae vota hominum exaudirent, quae deſideria explerent, quae ſpem donis ſuis etiam ſuperarent. Sed deorum introductione mirifice implicitam ſe eſſe mox ſenſit humana ratio. Quum enim liberis numinibus tribuiſſet, quae fati vel naturae neceſſitate fiunt, conſequens erat, neceſſitatem ipſam ſecum in contentionem adduci, quippe cuius dimidia pars contrarium eſſet neceſſitatis. Hinc factum, ut in

Homericis carminibus nunc fata maiora sint diis, nunc dii maiores fato. Omninoque multa, quae hominibus adversa acciderent, ad deos auctores referri coepere, non solum, quia saepe, si uni faverent dii, alteri non poterant non infesti esse, sed etiam quia, ut libera et humanis praedita sensibus, ira et indignatione tangi debebant.

Sponte apparet, hos deos apprime aptos esse ad poesin epicam. Haec enim quum necessitatis vim infestam quidem, sed denique secundam requirat, utrumque in horum natura deorum invenitur. Eorum alii adversi, qui affligere et perdere hominem studeant, alii suspitatores introducuntur, qui hominem e malis eripiant, et, quod ipse effectum reddere non potest, perficiant.

XXIX.

De numinibus a tragoedia et epico carmine alienis.

Duas vidimus necessitatis formas: unam, quae malis hominem affligit, alteram, quae e malis eum eripit. Vtriusque ea conditio est, ut humanae naturae viribus potentior sit. Sed quaedam accidunt, quae nescias, utrum libertati an necessitati debeantur, quia neutra insigne quoddam molimen ostendit. Quod si talis necessitas numini cuipiam adscribitur, id non poterit non a tragoedia pariter atque ab epica poesi alienum esse. Nihil enim habet, quo libertatem ad certamen provocet, atque in dimicationem adducat. Ac talia sunt duo numina, Ἄτη et Τύχη, media quasi inter ea numina, quae adversae necessitatis regimen habent, et benevolos illos faventesque hominum generi deos. Cum istis infestae necessitatis praesidibus hoc habent commune, quod non sunt libera numina, sed uno ac certo modo, quidquid agunt, perficere solent; cum benignis autem diis eo conveniunt, quod non necessario res humanas moderantur, sed nunc iis se immi-

ſcent, nunc inde ſe abstinent. Sunt autem neceſſario duo huiusmodi numina. Quidquid enim coniunctis viribus libertas et neceſſitas gerunt, aut ex voto evenit, aut contra. Si ita evenit, ut optatum erat, neceſſitatis in ea re partes habet Τύχη, humanorum conſiliorum adiutrix. Sin aliter evenit, atque in votis erat, Ἄτη in cauſſa eſſe exiſtimatur. Ei vero non tantum adverſus eventus tribuitur, verum etiam ipſum libertatis conſilium. Nam quia et Τύχης et Ἄτης officium in iis rebus verſatur, quae etiam ſolo libertatis arbitrio perfici poſſe videantur, non ſolum ob adverſum ſucceſſum dolent homines, ſed etiam ſibimet ipſis iraſcuntur, quod ea, quae male ceſſura credibile fuerit, agere inſtituerint. Quod quum quaſi occaecati ad probabilem rei ſucceſſum fecerint, haec ipſa mentis et conſilii perverſitas Ἄτην putatur auctorem habere. Id quod abeſt in iis, quae Τύχη perficit. In his enim nihil cauſſae eſt, quare ad conſilii ſui conſiderationem ac deliberationem animus redeat. Itaque etiam antiquior Ἄτη, quam Τύχη, eſt. Prius enim et magis ſerio de neceſſitate cogitare hominem eae ex liberis actionibus coegerunt, quae adverſo ſucceſſu poenitentiam attuliſſent, quam quae ita, ut animus conſequutura praeceperat, eveniſſent.

XXX.

De choro tragico.

Reliquum eſt, ut etiam de choro tragico paucis explicetur, cuius uſum conſtat non a neceſſitate quadam vel a natura tragoediae, ſed ab iis, quae tragoediae apud Graecos origines fuerunt, repetendum eſſe. Quare non de eo quaerendum eſt, an ſit chorus in tragoedia neceſſarius, (patet enim non eſſe neceſſarium) ſed, ſi adhibetur, qualis eſſe debeat. Intelligimus autem chori nomine non omnia, quae in tragoediis a perſonis choricis dicuntur, ſed illa tantum carmina,

quae ab universo choro cani solent, id est parodum et stasima. Nam quae coryphaeus loquitur, sive in iambis et anapaestis, sive in iis, quae κόμμοι vocantur, ea quum ad ipsam actionem pertineant, eamdem, quam caeterarum personarum colloquia, necessitatem habent. Quod si non sunt in necessariis tragoediae partibus parodus et stasima, chorum, qui quidem his demum carminibus chorus est, merito dicemus personam esse superflua loquentem. Sed haec superflua ne sint inepta, aliquem tamen usum praestare chorus debebit. Atque habet ille hoc commodum, quod non interrupta actionis perpetuitate animis spectatorum aliquam requiescendi facultatem praebet. Est ergo chorus tragicus, ut definitione naturam eius comprehendamus, persona ob relaxandos spectatorum animos res superfluas loquens. Cuius quae conditio esse debeat, ex hac ipsa definitione deduci possit necesse est. Atque hic quoque quatuor partes sunt, quibus chori tragici natura contineatur.

Primum enim chorus non ex una, sed e pluribus personis constare debet. Nam si una persona fungeretur eius officio, non illa habitura esset, quicum loqueretur. Quare aut secum ipsa loqueretur, aut cum spectatoribus. At si secum, inepta foret, quia id ii tantum faciunt, qui magno cum animi motu de eo, quid agere se oporteat, deliberant; sin cum spectatoribus, interrumperetur actio. Quod si plures sunt personae, nihil incommodi est. Quamquam enim non colloquuntur inter se, sed simul omnes loquuntur, hoc ipso tamen, quod plures sunt, efficitur, ne desit, quicum loqui videantur.

Deinde chorus sine actione sit necesse est. Nam si officium eius agendo contineretur, non posset id, quod debet, efficere, ut relaxarentur animi spectatorum. Spectatores enim, de actionis exitu solliciti, non aliter, nisi consistente paullisper actione, colligere se e nimia concitatione et componere motum animi possunt.

Tertium est, chorum cum actione nexum et coniunctum esse debere. Nam nisi ita esset, non consisteret actio, sed interpellaretur et rumperetur. Itaque necesse est, ut personae, e quibus constat chorus, ex agentibus personis sint. Etenim si essent ab agentibus personis diversae, non possent non interventu suo actionem dissolvere. Itaque recte et Aristoteles et Horatius virile officium in choro requirunt, unamque ex agentibus personis esse volunt. Nec quidquam obstat, quominus etiam primarum partium persona chori munere fungatur, dum ne agendo occupata sit, ubi parodus et stasima canuntur. Eius rei exemplum praebuit Aeschylus in Eumenidibus, cuius quidem fabulae non sane optima est constitutio. Nam quum primas partes Orestes tenere debeat, omnia tamen ad eum finem convenire videntur, ut Furiae potiore loco sint. Sed quod chorum contendimus ex agentibus personis esse debere, eius rei vestigia etiam in ipsis eius carminibus insint necesse est. Nam si ea loqueretur, quae plane ab actione fabulae abhorrerent, non minus interpellaretur actio, ac si prorsus aliena nullasque in actione partes habens persona introduceretur. Quippe chorus forma quidem et habitu eamdem, quam in actione ipsa, retineret personam, sed sententiis, dictis, consiliis, quibus maxime rebus personae natura continetur, alium se et ab eo, qui in actione esset, diversum ostenderet. Quamobrem quae canit chorus, ad ipsam fabulae actionem pertinere debent, sed, quia agendi officium ab his carminibus abest, in sententiis, in narrationibus, in votis, in praeconiis recte factorum, in exsecrationibus scelerum, in laudibus deorum, et quae sunt alia huiusmodi, debent consistere.

Postremo quoniam ad recreandos spectatorum animos chori carmina usurpantur, non debent talem quamdam remissionem afferre, ut languere et frigere spectatorem necesse sit, sed pro ea, quam actio pepererat, animorum concita-

tione alii iique non debiliores, ſed, quamquam minore cum moleſtia, etiam fortiores motus excitandi ſunt. Fortiores eſſe debent, quia animus exſpectatione ſuspenſus, niſi maiore quadam et vehementiore oblata commotione, aegre ſe retardari, atque ab eo, quod ei infixum haeret, avocari patitur. Sed eadem commotio etiam ſuavior eſſe debet, quam exſpectationis ſollicitudo, quia relaxationem aliquam animorum per eam effici volumus. Vtrumque in lyrico genere poeſeos eſt. Nam et motus habet vividiſſimos, et, quia liberrimum animi cogitationibus ſpatium praebet, ſuavitate excellit. Hinc clarum eſt, chori carmina e genere lyrico eſſe debere, quo ad eum finem, ad quem adhibentur, apta ſint.

Haec habui, quae de differentia tragoediae atque epici carminis dicerem. Quae etſi breviter expoſita ſunt, idonea tamen, ſpero, erunt ad viam, qua in hac re disputanda progrediendum ſit, et oſtendendam et explanandam.

Index nominum propriorum.

Index verborum.

Z

H.

Θ.

I.

Ρ.

Σ.

Index Latinus in commentarios.

A.

C.

D.

E.

F.

H.

I.

Index Graecus in commentarios.

non de com
quale carme

101.

143. 144.